



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 8. Cædes Simonis Archiepiscopi Cantuariensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

§. VIII.

Sæcul. XIV.
A. C. 1381.*Cædes Simonis Archiepiscopi Cantuariensis.*

Ingrediuntur clamantes: Ubinam est proditor, ac prædo ille? Simon placide se ferens obvium, Grati adestis, ait, o filii mei! Ego sum, quem quæritis, Archiepiscopus, non autem proditor, aut prædo. Arreptis mox brachiis ac epomide sacra e facello abstractum extra turris portam producunt. Ibi edito clamore horribili nudatis innumeris ensibus circumdant Præsulem: qui Deum pro iis orans positus in terra genibus cervices ictui præbet. Octo accipit: ex ultimo tandem amittit caput. Cadaver die illa & proxima insepultum mansit: adeo timebantur furentes. Trucidabant etiam Magnum Rhodiorum Priorem Robertum Halesium: & amborum capita in hastis præfixa per plateas ludibrii causa circumferrebant.

Rex, ut rebelles dispergeret, quæ volebant, pollicitus postea multos eorum trahi ad supplicia iussit; inter alios Joannem Vallium, qui captus, convictusque perduellionis poenas subiit: raptatus enim, suspensus e furca, truncatus capite, evisceratus, & quatuor in partes concisus est 8 Julii. In locum Simonis Archiepiscopi.

Hist. Eccles. Tom. XXIV. Aa epi-

Valsing. : p. 275.

Sæcul. XIV. A. C. 1382. episcopi tam crudeliter occisi Cantuarienses Monachi Rege consentiente cooptarunt Guilielmum Curtiniacensem Londini Episcopum, cui Papa Urbanus ignarus rei sub idem tempus diploma collati archiepiscopatus misit.

God. p. 172. Guilielmus Hugonis Curtiniacensis Deniæ Comitis filius, cum a juventute sua Juri utrique strenuam navasset operam, acceptis sacris Ordinibus inter alia beneficia pingua trium Ecclesiarum cathedralium Exoniæ, Heliæ, ac Eboraci Canonicus, anno 1360 consecratus Episcopus Herefordiensis, post annos quinque ac dimidium Londini Simoni Sudburino successerat. Romanum diploma Cantuariæ promulgatum est 9 Januarii anno 1381, nempe 1382 ante Pascha.

§. IX.

Wicleffi propositiones.

Valsing.
p. 283.

Rayn. n. 29.

Propos. 1.

Eodem anno sub diem S. Joannis ante portam Latinam, nempe in principio Maji Rex Richardus Londini senatum habuit: unde Wicleffus capiebat ansam ad præsentem ibi Procères mittendi sequentes octo propositiones, quasi ad regnum conservandum necessarias. Rex, aut regnum nulli parere Præsuli debet; nisi quatenus id volunt Divinæ litteræ: alioqui Christo præponeretur antichristus. Nec